



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1494 usque ad annum 1507

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118448**

§. 140. Nuptiæ inter Regis Angliæ Filium & Catharinam Arragoniam  
firmatæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67025)

Sæcul. XV. præcipiti fuga sese proripiunt, duobus  
A.C. 1497. millibus (sex enim exercitus constabat)  
 desideratis, ceteris vero captis, quos inter tres rebellium principes extremo supplicio condemnati sunt, reliquis vero Henricus vitæ gratiam concessit, considerans, inquit Franciscus Baco, plurimum differre inter seditionem paupertatis necessitate extortam, ac rebellionem ab indole in tumultus nata concitatum.

## §. CXL.

*Nuptiæ inter Regis Angliæ Filium  
 & Catharinam Arragoniam  
 firmatæ.*

*Bacon. hist.  
 Regni Henrici VII.*

Paucis post Blac - heathense prælium diebus Archiducis Oratores Londini pacta firmabant, quibus nupero commercii foedere accuratius exposito, Archidux juri cedebat, quo antea pro quolibet Anglici panni texto in ejus ditones invehendo unius floreni vestigal exigebat. Præterea die decima octava Junii Henricus rata habuit nuptiarum pacta Arturi filii sui natu majoris cum Catharina de Arragonia. Hoc connubium jam Anno millesimo quadringentesimo nonagesimo primo decretum, tandem quin-

to ex post anno die prima Octobris firmatum est, eo quidem tempore, quo Carolus VIII. in Angliam Legationem decernebat, ut pax Stapulensis stabiliretur, sicque quædam concordie violationes ultro citroque commissæ repararentur. Interim Henrico Corisopotanzæ seditioni penitus extinguendæ intento, Rex Scotiæ alteram in Angliæ regnum irruptionem tentat, urbemque Norhamensem obsidione premit, quam tamen ad primos Surregiæ Comitis occursum solvens, ad regnum suum reversus est.

Sæcul. XV.

A. C. 1497.

## §. CXLI.

*Pax Scotos inter & Anglos.*

Cum vero Scotiæ bellum Henrico permolestum esset, in pacis consilio operam quærere cæpit, atque Petrum de Ayala Hispanicum apud Angliæ Regem legatum idoneum rei gerendæ Ministrum selegit, nec hunc præ reliquis delegisse, Henricum poenituit: Petrus enim in Scotiam delatus, Regem eo induxit, ut prius honorifice Perkinum valere jubere-  
Bucan. hist. rer. Scot.  
 ret, ac demum de pace ageret, ne forte ementitus ille Eboracensis Dux foederis consilia everteret. Ergo Oratores Aytonii conveniunt, ibidemque primo septem annorum inducias decernunt, a  
 vige-